



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE IN ANTIQUA SANCTUARIUM BEATAE MARIAE VIRGINIS
TITULO**

«MARIA SS.MA DEL SOCCORSO», QUOD IN URBE THERMIS SELINUNTIIS,
VULGO «SCIACCA» NUNCUPATA, INTRA DIOECESIS AGRIGENTINAE FINES

EXSTAT, AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – In antiqua et praeclara quidem Siciliae urbe Thermis Selinuntis, vulgo «Sciacca» nuncupata, intra Agrigentinae dioecesis fines posita, eminere novimus Sanctuarium Beatae Mariae Virginis, titulo «Maria SS.ma del Soccorso», in quo, artis operibus insigni, fideles loci finitimorumque oppidorum, praesertim piscatores, impensa pietate colunt pulcherrimum simulacrum Deiparae Virginis titulo, quem diximus, invocatae, quod die XV mensis Augusti anno MCMVII sollemni ritu coronavit Vaticanum Capitulum. Qua re, cum Venerabilis Frater Carmelus Ferraro, Episcopus eiusdem dioecesis, litteris die XIV mensis Aprilis hoc anno datis, etiam ecclesiae rectoris clerique populi que sui nomine petiverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, paternae benevolentiae Nostrum signum tam dilectis filiis illius nobilis urbis cupientes vero praeberere, enixis precibus censem libentes obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctuarium, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Iulii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana
